

The *Chrysostomus Latinus in Mattheum* Online (CLIMO) Project  
(<https://climo-project.wlu.ca>)

Omelia XXXI. in Mattheum Iohannis Chrysostomi interprete Burgundio  
(BAV MS Vat. lat. 383, ff.111va-114rb)

Haec eo loquente eis, ecce princeps ingrediens, adorat eum dicens. Filia mea modo defuncta est, sed ueniens impone manum tuam super eam, et uiuet.

Commented [ND1]: [fol.111va]

Assumpsit sermones opus, ut amplius pharisei obstruerentur. Etenim qui uenit, archisinagogus erat, et luctus magnus erat. Etenim unigenita erat puella, et annorum duodecim effecta. Id etatis est flos. Quo utique et maxime eam confestim resuscitauit. Si autem lucas dicat, quoniam uenerunt dicentes, ne uexes doctorem, mortua enim est illud dicemus quoniam idem modo defuncta est, conicientis erat a tempore itineris uel *argentis* calamitatem. Etenim consuetudo est rogantibus extollere sermone propria mala, et amplius aliquid eo quod est dicere, ut magis attrahant eos quibus supplicant. Vide autem eius crossiciem. Duo enim expetit a christo, et accedere ipsum, et manum imponere. Quod signum erat dereliquisse eam adhuc respirantem. Hoc et syrus ille neeman prophetam expetebat. Dicebant enim ait, quoniam et exhibit, et manum suam imponet. Etenim et uisu indigent, et sensibilibus rebus, qui crossius dispositi sunt. Et marcus quidem ait, quoniam tres accepit discipulos. Et lucas hic autem simpliciter ait discipulos. Cur igitur mattheum non assumpsit, quamuis modo aduenerat? ad ampliorem eum concupiscentiam immittens. Et quia imperfectus adhuc dispositus erat. Propter hoc enim illos honorat, ut hii secundum illos efficiantur. Hoc autem sufficiebat interim, ea quae secundum sanguinis fluxum patientem erant uidere. Surgentem autem eum, sequebantur multi, sicut in miraculo magno, et propter personam quae aduenerat. Et quoniam plures crossius dispositi non ita animae *diligentiam*, ut corporis medicinam querebant. Et confluebant alii quidem a propriis compulsi passionibus, alii autem correctionis alienorum studentes inspectores fieri. Sermonum autem gratia et doctrinae principaliter, pauci erant qui ad ipsum interim pergerent. Non tamen siuit eos in domum intrare, sed discipulos solum, et neque hos omnes, ubique erudiens nos, gloriam quae a multis est euitare. Et ecce ait mulier, influxu sanguinis duodecim annos habens, accessit *posterius*, et tetigit fimbriam uestimenti eius. Dixit enim in seipsa, si solum tetigero uestimentum eius saluabor. Qua de causa, non cum libera propealatione ei aduenit? Verecundabatur propter passionem immundam se esse existimans. Si enim quae in menstruis erat, non putabatur esse munda, multo magis quae tali egrotabatur egritudine *hoc* utique estimauit. Etenim apud legem multa immunditia estimabatur esse, haec passio. Propter hoc latet et occultatur. Nondum enim neque hec decentem et perfectam de ipso opinionem habebat. Quia nequaquam estimasset latere, et primum accedit publice haec mulier. Etenim audiuit quoniam et mulieres curat, et quoniam ad filiam defunctam uadit, et in domum quidem eum uocare non ausa est, quamuis facultatibus idonea existens. Sed neque publice accessit, latenter autem cum fide uestimenta tetigit. Neque enim dubitauit, neque dixit in seipsa. Numquid eruar ab egritudine? numquid non eruar? sed confidens de sanitate, ita accessit. Dixit enim, ait in seipsa, si solum tetigero uestimentum eius, saluabor, et sciebat ex quali exiuit domo publicanorum, et qui erant sequentes peccatores et publicani, et haec omnia bene sperare eam fecerunt. Quid igitur christus? non dimisit eam latere, sed in medium ducit, et manifestam constituit, multorum *gratia*. Quamuis quidam insensibilium aiunt, gloriam eum concupiscentem hoc facere. Propter quid enim ait, non dimisit eam latere? quid dicis, o iniquate? qui iubet silere, qui decem milia transcurrit miracula,

Commented [ND2]: [fol.111vb]

Commented [ND3]: curam add. super lin.

Commented [ND4]: uel a posteriori add. super lin.

Commented [ND5]: [fol.112ra]

Commented [ND6]: causa add. super lin.

Commented [ND7]: aliud add. super lin.

ita gloriam concupiscit? Cur igitur in medium ducit? primum soluit timorem mulieris, ut non a conscientia puncta, ceu furans donum, in agonia conteratur, secundo eam emendat quoniam estimauit latere, tercio omnibus fidem eius ostendit, ut et alii zelentur. Tribuit non minus **signum** monstrare quoniam omnia nouit, **eo quia** sistit fontes sanguinis. Deinde archisinagogum non crediturum, et ita omnia corrupturum, dirigit **a** muliere. Etenim qui uenerunt, dixerunt. Ne uexes doctorem, quoniam mortua est puella. Et qui in domo erant, deridebant eum dicentem, quoniam dormit. Et decens erat et patrem tale aliquid pati. Propter hoc corrigens, hanc imbecillitatem, ducit **mulierem** in medium. Quoniam enim ualde crossiorum erat **ille**, audi quid ait ad eum. Ne timeas tu solum crede, et saluabitur. Etenim mortem ex studio expectauit **aduenire**, et tunc accedere, ut manifesta fiat resurrectionis demonstratio. Propter hoc et tardius uadit. Et loquitur mulieri plura, ut concedat deficere illam, et aduenire eos qui haec annuntiarent, et dicerent, ne uexes doctorem. Hoc igitur et lucas enigmatice insinuans, significabat dicens. Quoniam adhuc eo loquente, uenerunt a domo dicentes, mortua est filia, ne uexes doctorem. Volebat enim credi mortem, ut non suspecta fieret resurrectio. Et hoc ubique facit. Ita et in lazaro, et unam, et secundam, et terciam diem mansit, propter haec utique omnia, ducit eam in medium, et ait. Confide filia, sicut et paralitico dixit. Confide fili. Etenim formidans erat mulier. Propter hoc ait, confide, et filiam uocat. Fides enim eam filiam fecit. Deinde et **laudem**, fides tua saluauit te. Lucas autem, et ampliora his alia, nobis annuntiat de muliere. Postquam enim accessit, et sanitatem accepit, non confestim uocauit eam christus, sed prius ait. Quis est qui tetigit me, deinde petro et his qui cum ipso erant dicentibus. Preceptor turbae continent te, et comprimunt, et dicis quis est qui tetigit me? quod maximum erat signum, quia et carnem ipse ueram circumindutus est, et omnem **typum** conculcat. Neque enim a longe sequebantur, sed continebant eum undique, ipse permansit ait dicens, quoniam tetigit me aliquis. Ego enim cognoui, uirtutem exeuntem, ad suspicionem audientium, crossius respondens. Haec autem dicebat, ut et illi ex seipsa confiteri suadeat. Propter hoc enim neque confestim eam redarguit, ut monstrans quoniam omnia nouit manifeste, spontaneam suadeat omnia dicere, et ipsam diuulgare quod factum est instruat, et ne ipse dicens **suspectus** esse estimetur. Vides archisinagogo meliorem mulierem? non detinuit, non palpauit, sed summis digitis tetigit solum, et posterior ueniens, prior curata abiuit. Et ille quidem, totum medicum ducebat ad domum. Huic autem suffecit et tactus solum. Etsi enim passioni erat alligata, sed fide erat expansa. Intuere autem qualiter eam mulcet dicens, fides tua saluauit te, quamuis si ostentationis gratia eam attraxisset in medium, non utique hoc adiunxisset. Sed simul archisinagogum erudiens credere, hec ait, et non minorem corporis sanitate, per uerba haec prebens ei uoluptatem et utilitatem. Quoniam enim illam glorificare uolens, hec faciebat et alios corrigere, sed non semetipsum ostendere clarum, manifestum hinc. Ipse enim similiter, et sine hoc futurus erat esse mirabilis. Super nubes enim **ipsius** **supereffluebant** miracula. Et multo isto maiora, et operatus est et facturus erat. Mulier autem nisi hoc gestum esset, latens utique abisset, magnis his priuata laudibus. Propter hoc eam in medium ducens diuulgauit, et timorem abstraxit. Etenim tremens ait accessit, et confidere eam instruxit, et cum sanitate corporis, et alia ei dedit uaticula dicens. Vade in pace. Veniens autem in domum principis, et uidens tibicinas, et turbam tumultuantem, dixit. Discedite. Non enim mortua est puella, sed dormit. Bonae archisinagogorum erant hee coniecturae immoriendo, **tibie**, et cimbala, luctum erigentes. Quid igitur christus? Tibias quidem uniuersas proiecit. Eos autem qui genuerunt introduxit, ut non fieret **dicere**, quoniam alter curauit. Sed et ante **resurrectionem**, erigit sermone dicens, non mortua est puellas, dormit. Sed et multis aliis in locis hoc facit, sicut et in mari, increpat discipulos primum. Ita utique et hic tumultum proicit mentis eorum qui aderant, simul et ostendens quoniam facile est ei, mortuos **erigere**. Quod utique et in lazaro fecit

**Commented [ND8]:** hoc id est *add. in marg.*

**Commented [ND9]:** uel quam quod *add. super lin.*

**Commented [ND10]:** *ex add. super lin.*

**Commented [ND11]:** emorroidas habentem *add. super lin.*

**Commented [ND12]:** [fol.112rb]

**Commented [ND13]:** puelle *add. super lin.*

**Commented [ND14]:** ait *add. super lin.*

**Commented [ND15]:** tumorem *add. super lin.*

**Commented [ND16]:** [fol.112va]

**Commented [ND17]:** uel ipsum *add. super lin.*

**Commented [ND18]:** uel supereffundebant *add. super lin.*

**Commented [ND19]:** sunt *add. super lin.*

**Commented [ND20]:** possibile *add. super lin.*

**Commented [ND21]:** puelle *add. super lin.*

**Commented [ND22]:** [fol.112vb]

dicens, Iazarus amicus noster dormit. Et simul erudiens, non formidare mortem. Non enim esse mortem eam, sed somnum iam factum esse. Quia enim et ipse erat moriturus, in aliorum corporibus instruit discipulos confidere, et humiliter ferre obitum. Etenim eo accedente, iam somnus mors erat, sed tamen deridebant eum. Ipse autem non molestatus est, non creditus in his in quibus parum postea erat miracula facturus, neque increpauit derisionem. Vt et ipsa, et tibiae, et cymbala, et alia uniuersa, demonstratio fiant mortis. Quia enim multotiens postquam facta sunt miracula, non creduntur omnes, antea eos assumit propriis responsionibus. Quod utique et in lazaro factum est et in moyse. Etenim moysi ait quid hoc in manu tua? ut cum uiderit serpentem effectum, non obliuiscatur, quoniam uirga erat ante hoc. Sed proprie rememorans uocis, ammiretur quod factum est, et in lazaro ait. Vbi posuistis eum? ut qui dixerunt ueni et uide, et quoniam foetet quatruiduanus enim est non amplius non credere habeant, quoniam mortuum resuscitauit. Videns igitur cymbala et turbas, proiecit uniuersos. Et presentibus genitoribus, miraculum operatur. Non aliam superinducens animam, sed eam quae exiuit, reinducens, et uelut ex somno erigens, ut antea uiam faciat per uisum fidei resurrectionis. Pater enim dicebat, impone manum ipse autem amplius facit. Non enim imponit, sed retinens, resuscitat, monstrans quoniam omnia ei parata sunt. Et non resuscitat solum, sed et cibum iubet dari, ut non uideatur fantasma esse, quod factum est. Et non ipse dat, sed illis precipit, sicut et in lazaro dixit, soluite eum, et dimittite abire, et postea communicatorem facit mensae. Etenim utraque semper instruere assueuit, et mortis, et resurrectionis, cum diligentia uniuersa, demonstrationem faciens. Tu autem michi non resurrectionem intende solum, sed quoniam et iniunxit, nulli dicere, et hoc maxime per omnia erudiaris, tumorem et uanam gloriam abicere, et cum hoc, et illud discis, quoniam eos qui flebant, extra domum eiecit, et indignos tali contemplatione ostendit. Et ne egrediaris cum tibicinis, sed mane cum petro, et iohanne, et iacobo. Si enim tunc eiecit illos extra, multo magis nunc. Tunc enim nondum manifesta mors erat, somnus effecta, nunc autem et ipso sole est hoc apertius, sed non suscitauit tuam filiam, sed omnino suscitabit, et cum ampliori gloria. Illa enim suscitata, rursus mortua fuit. Tua uero si resuscitata fuerit, manet iam immortalis existens.

Nullus igitur frangatur iam, neque lugeat, neque directioni christi detrahat. Etenim deuicit mortem. Quid itaque superfluo luges? somnus hoc factum est. Quid ploras et plangis? Hoc enim etsi greci facerent, deridere oporteret. Cum autem fidelis in his se deformat, que est excusatio? que erit uenia, talia insanientibus? Et hoc post tempus tantum, et manifestam resurrectionis demonstrationem. Tu autem uelut augere incusationem studens, et ploratrices ducis nobis grecas mulieres, accendens passionem, et caminum erigens, et non audis paulum dicentem, quae consonantia est christo ad belial, uel que pars fideli cum infideli, et pueri quidem grecorum qui nichil de resurrectione dicunt, tamen inueniunt sermones mitigationis dicentes. Fer uiriliter. Etenim resolvere quod factum est, non est neque enim dare luctibus. Tu autem qui sapientiora, et utiliora his audis, non uerecundaris amplius illis teipsum deformans? Neque enim dicimus, fer uiriliter, quia quod factum est, resolvere non est. Sed fer uiriliter etenim resurget omnino, dormit puella, et non mortua est, quiescit non perit, resurrectio eam accipiet, et uita aeterna, et immortalitas, et requies angelica. Non audis psalmum dicentem. Conuertere anima mea in requiem tuam, quoniam dominus bene fecit tibi? Beneficium deus, hoc uocat, et tu luges? Et quid amplius utique faceres, si inimicus et hostis eius qui deficit esses? Si enim oportet plorare, diabolus oportet lugere. Ille frangatur, ille lugeat, quia ad maiora imus bona. Illius pernitie dignus est hic ululatus, non te qui coronandus es, et requiem es habiturus. Etenim portus tranquillus est mors. Intende itaque quantis plena est malis, presens uita. Excogita quotiens ipse maledixisti presenti uitae. Etenim ad deterius res procedunt, sed et a primordio, non paruum

Commented [ND23]: quod est *add. super lin.*

Commented [ND24]: id est *add. super lin.*

Commented [ND25]: [fol.113ra]

Commented [ND26]: animam *add. super lin.*

Commented [ND27]: anima *add. super lin.*

Commented [ND28]: Morale xxxi. quoniam non oportet lugere eos qui defecerunt *notum. in marg.*

Commented [ND29]: id est gens infideles *add. super lin.*

Commented [ND30]: facis *add. super lin.*

Commented [ND31]: est *add. super lin.*

Commented [ND32]: [fol.113rb]

sortitus es, condempnationem. In tristiciis enim paries filios ait, et in sudore uultus tui, commedes panem tuum, et in mundo tribulationem habebitis. Sed non de his qui illic sunt, tale aliquid dictum est, sed contrarium uniuersum, quoniam effugit dolor et tristitia et luctus. Et quoniam ab oriente et occidente uenient, et recumbent in sinibus abraham, et isaac, et iacob, et quoniam thalamus sunt, quae illic sunt, spiritualis et fulgidae lampades, et transmigratio ad caelum. Quid igitur confundis eum qui obiit? Quid construis alios tremere, et formidare mortem? Quid facis multos accusare deum, ut magna operantem mala? Magis autem quid postea inopes uocas, et rogas sacerdotes orare? ut in requiem abeat ait, qui defunctus est, ut propitium assumat iudicem. Pro his igitur et luges et lamentaris? Igitur tibiipsi preliaris, et bellaris, pro quibus inportus abiit ille, hiemem tibiipsi construens. Et quid patiar ait? Tale est natura. Non est naturae hec incusatio, neque rei consequentiae, sed nos qui omnia **sursus et inferius facimus**, sumus qui mollimur, et propriam **tradimus** ingenuitatem, et infideles deteriores facimus. Qualiter igitur alii de **immortalitate** loquemur? qualiter suadebimus ethnicum, cum magis illo mortem timeamus et horrescamus? Multi denique apud grecos, quamuis nichil de immortalitate scientes, coronati sunt, pueris eorum obeuntibus, et **candidati** apparuerunt, ut presentem **fructificent** gloriam. Tu non propter futuram quiescis effeminatus et fractus? sed heredes non habes, neque successorem eorum quae tibi sunt? et quid magis uolebas, tuorum eum heredem esse uel caelestum? Quid autem concupiscis? pereuntia eum suo cedere, quae parum postea dimissurus est, uel permanentia et immobilia? Non habuisti heredem eum? sed pro te habuit eum deus. Non factus est fratrem propriorum coheres? sed factus est christi. Et cui ait uestimenta, cui habitationes, cui seruos, et agros derelinquemus? Ipsi rursus et stabilius quam si uiueret. Quod prohibeat enim, nichil est. Si enim barbari simul cum obeuntibus comburunt ea quae sunt sibi, multo magis te cum defuncto mittere ea quae sua sunt. Non ut cinis efficiantur sicut illa, sed ut amplioem his circumamiciariis gloriam. Et siquidem peccator abiit, ut peccata soluas. Si autem iustus, ut adiectio fiat mercedis et retributionis. Sed uidere eum concupiscis. Itaque eandem cum eo uiue uitam, et uelociter assumes sacrum illum uisum. Cum his autem et illud reputa, quoniam etsi nos non audieris, tempore procedente omnino **persuadeberis**, sed nulla tibi tunc erit merces. Multitudinis enim dierum efficitur hec mitigatio. Si autem nunc uolueris philosophari, duo lucraberis quae maxima sunt, et teipsum a malis quae in medio sunt erues, et adeo clariorem assumes coronam. Etenim elemosina et aliis multo magis est humiliter calamitatem sufferre. Excogita quoniam filius dei mortuus est, et ille quidem propter teipsum, et dicens si possibile est transeat a me calix hic, et **tristatus**, et agoniam passus, tamen non transcurrit obitum, sed et cum multa eum sustinuit tragedia. Neque enim simpliciter mortem sustinuit, sed turpissimam, et ante mortem flagella, et ante flagella obprobria et conuitia et contumelias, te erudiens omnia ferre uiriliter, sed tamen moriens, et corpus deponens, rursus id resumpsit cum ampliori gloria. Tibi et hic benignam sustinens spem. Haec nisi fabula sunt, ne lugeas, haec si credenda esse estimas, non lacrimare. Si autem lacrimatus fueris, qualiter poteris suadere greco quoniam credis? Sed et ita intolerabile adhuc tibi uidetur quod contingit? Itaque propter hoc ipsum non dignum est illum lugere, a multis enim talibus erutus est calamitatibus. Non igitur ei inuide, neque emulare. Petere enim tibiipsi quidem mortem, propter **in temporaneum** illius obitum. Lugere autem illum quoniam non multa sustinebat talia, inuidens magis est et emulantis. Non utique hoc excogita, quoniam non ultra reuertetur in domum, sed quoniam et ipse abibis parum postea ad ipsum, non hoc reputa, quoniam non ultra redit huc, sed quoniam neque haec quae uidentur manent talia, sed et haec transformantur. Etenim et caelum, et terra, et mare, et omnia transaptantur, et tunc accipies tuum puerum cum ampliori gloria. Et siquidem peccator abiit, steterunt ea quae sunt malitiae eius. Neque enim utique si transmutandum deus uidisset, rapuisset utique ante

**Commented [ND33]:** id est confundimus *add. super lin.*

**Commented [ND34]:** prodimus *add. super lin.*

**Commented [ND35]:** [fol.113va]

**Commented [ND36]:** uestibus *add. super lin.*

**Commented [ND37]:** lucentur *add. super lin.*

**Commented [ND38]:** consolaberis *add. super lin.*

**Commented [ND39]:** [fol.113vb]

**Commented [ND40]:** in maturum *add. super lin.*

penitentiam. Si autem iustus existens dissolutus est, instabilitate sua bona possidet. Vnde manifestum est, quoniam non sunt dilectionis lacrimae tuae, sed passionis irrationabilis. Quia si obeuntem diligeres, letari oporteret et gaudere, quoniam a presentibus liberatus est fluctibus. Quid enim plus est hic dic michi? quid extraneum et nouum, nonne eadem secundum unumquemque diem uidemus reuoluta? dies nox, nox et dies, hiems et estas, estas et hiems, et plus nichil. Et haec quidem semper sunt eadem. Mala autem extranea, et inaniora. Haec igitur eum uidere secundum unumquemque diem uolebas, et manere hic, et egrotare, et lugere, et formidare, et tremere. Et haec quidem sustinere malorum, haec autem nequando sustineat timere. Neque enim illud habes dicere, quoniam longum hoc nauigantem pelagus, possibile erat a tristitia et sollicitudinibus et ab aliis erui talibus. Cum his autem et illud reputa, quoniam non immortalem peperisti, et quoniam si non defunctus esset, parum postea utique hoc sustinisset. Sed non impleta es eo? sed poteris omnino illic, sed et hic concupiscis uidere? et quid est quod prohibeat? Licet enim et hic si uigilaueris. Spes enim futurorum, uisu apparentior. Tu autem siquidem in palatiis esses, non aliquando eum inquireris uidere, audiens bene prosperatum. Ad multo autem meliora uidens abscedentem, pro paruo tempore pusillanimis efficeris, et hoc habens pro illo coniugem tuum. Sed non habes uirum? sed habes mitigationem patrem orphanorum, et iudicem uiduarum. Audi paulum hanc beatificantem uiduam, et dicentem. Quae autem uere uidua est et solitaria, sperauit in domino. Etenim probabilior haec talis apparebit, ampliorem ostendens patientiam. Ne igitur lugeas pro quo coronaris, pro quo mercedem expeteris. Etenim reddidisti depositum, uel quod credita es prestitisti. Non ultra sollicita sis, iam in thesauro non supposito, furibus, pecuniam deponens. Si autem et didiceris quae quidem est presens uita, quae quidem est futura, et quoniam haec quidem est tela aranearum, et umbra, quae autem illic sunt, omnia immobilia sunt, et immortalia, non indigebis iam aliis sermonibus. Nunc enim puer ab uniuersa transmutatione, erutus est. Hic autem existens, fortassis quidem benignus, fortassis autem non talis utique mansisset. Aut non uides quanti suos emancipant pueros, quanti emancipatis deteriores existentes, coguntur domi retinere? Haec igitur uniuersa excogitantes, philosophemur. Ita enim et defuncto largiemur, et ab hominibus multis potiemur laudibus et adeo magnas huius patientiae accipiemus mercedes, et eternis fruemur bonis gratia, et filantropia id est amore hominum, domini nostri ihesu christi, cum quo patri simul cum sancto spiritu, gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in secula seculorum amen.

**Commented [ND41]:** [fol.114ra]

**Commented [ND42]:** est add. super lin.

**Commented [ND43]:** est add. super lin.

**Commented [CN44]:** sunt add. super lin.

**Commented [ND45]:** uel magis noua add. super lin.

**Commented [ND46]:** satiata add. super lin.

**Commented [ND47]:** uidere add. super lin.

**Commented [ND48]:** ipso add. super lin.

**Commented [ND49]:** facis add. super lin.

**Commented [ND50]:** uel expeterit add. super lin.

**Commented [ND51]:** uel creditum est tibi add. super lin.

**Commented [ND52]:** loci add. super lin.